



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Vita Pardi monachi Romani. Capvt. Cl.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

tinere nisi tertio nō comedit senex, semel in Sina
monte, semel in Alexandria, & semel in S. Ciui.

1 Etiam sancti veteres vouebant peregrinationes, &
vota persoluebant.

2 Ecce oratio cū prostratione, & mirabilis eius effectus.

3 Nota sacram Eucharistiam supra appellari sancta, hic
vero veneranda mysteria.

Vita Pardi monachi Romani.

CAPVT. CL.

Narrauerunt etiam nobis de alio sece Pat-
res eiusdem monasterij, dicentes: Erat hic
senex quidam, qui ante modicum tempus
defunctus est, Pardus nomine, genere Romanus.
Hic dū esset iunior, mulio fuerat. Die igitur qua-
dā abiit Hierico cū nullis Et cū esset in Anodoe-
chio, inuētus est illic puer paruulus, quē agente dia-
bolo, mul' calce percussit, & occidit, ignorante hoc
Abbate Pardo. Afflictus verò super hoc multum
Abbas Pardus, abiit in Arnonem, & effectus est
Anachoreta, lugens semper, dicens: Ego feci ho-
micidium, & vt homicida in iudicio damnatus
sum. Erat autem illic prope torrentem leo. Die-
busque singulis ibat Abbas Pardus ad cubile leo-
nis, stimulans, & prouocans leonem, vt exurge-
ret, & deuoraret eum. Leo autem nihil omnino
illum lædebat. Videns autem senex, quia nihil
proficeret, ait in se ipso: Dormiam in via, per quā
leo pergat ad fluuium, nam cū transibit, vt eat
ab bibedū, deuorabit me, cū ergo iaceret, ecce leo
post paululū venit, & quasi ratione præditus es-
set, cū omni quiete transiuit senē neq; omnino
illū retigit. Tunc, senior certior fact' est quòd De'us
remisisset, illi peccatū, & veniens rursus in mona-
steriū suū, vixit in magna continentia ædificans
omnes vite suæ exemplo vsq; ad diem obitus sui.